



**R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia**

**Tamburini, Tommaso**

**Lugduni, 1689**

4. De homicidio ex morte infirmi, præter voluntatem Medici, vel  
assistentium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

10. Secunda sententia quæ est Vasq. quem sequitur, citatque Gulp. Hurt. de irreg. 2. ff. 6. n. 22. Tur. de cens. 1.8. d. 6. 3. dub. 4. Inclinat Io. Præp. d. 5. de irreg. l. 7.8. Henr. l. 1. 4. cap. 16. Delugo de lust. d. 19. n. 40. in conscientia raturum foro, negat, saltem in foro conscientia, idque etiam, si probabiliter dubitaverit Antonius, Petrum mandatum exponi vitæ periculo. Ratio est, inquit, quia illud est occidere, vel mandare ut quis occidatur, aliud exponi quempiam periculo ut occidatur. Quamvis ergo consilium, seu mandatum de occasione activa, ut ita loquamur, trahat irregularitatem; non tamen irregularitatem trahit consilium, vel mandatum de se exponendo ad periculum ut occidatur, quia de hoc nullum ius extat, ut inter cæteros notat Io. Præpositus modo citatur. Sanè prior sententia probabilis est, de posteriore iudicet Lector.

11. Tertius casus. Mandavi tibi, ut occideres Caium, tu verò occidisti per errorem Sempronium, imputabitur hoc homicidium tanquam casuale mihi?

12. Respondeo. Id colligetur ex dicendis mox de irregularitate ex homicidio voluntario §. 7. n. 29. & §. 8. num. 11.

13. Denique in quarto casu amovendus mihi fuit ab amico nimis meticuloso scrupulus, quo timebat, ne, dum persuaderet cuidam professionem Indicam ad fidem prædicandam, si hic ab infidelibus esset occisus, ipse amicus reus esset homicidij casualis, atque adeo irregularitatem incurreret.

14. Dixi. Idem ergo multo magis timendum esse illi, qui suaderet fideli, ut fidem custodiens, obsideret Tyranno infideli, unde prævideri facile posset, fidelem esse à Tyranno occidendum. Verum, apagè à te timor iste; neque enim putandum est, cum Covarr. in Clem. Eufisus p. 2. §. 5. n. 9. Vgol. de irreg. c. 16. §. 5. n. 1. Ecclesiam velle irregularitatem, illum multare, qui animat, erigitque fideles ad fidem tam gloriosè defendendam, vel ad eandem per exterarum gentium disseminationem. Vande paulo inferius §. 8. n. 39.

De dubitante, an suum mandatum, &c. concurrerit ad homicidium, egi superius universaliter c. 5. §. n. 11.

§. IV. De irregularitate ex morte infirmi, præter voluntatem Medicorum, vel Assistentium.

1. His aniversaliter expeditis, remanent tria, de quibus multæ solent dubitationes occurrere, nam propterea fuerunt hic separatim afferenda. Illa autem sunt. Primo, de morte occasione infirmi, de qua in hoc quarto §. Secundo occasione adulterij, Tertio, occasione habitæ rixæ, de quibus in §. 5. & 6.

Medicus Physicus.

2. Medicinam duplicis generis facimus: Physicam vocamus alteram, quæ infirmis sine incisione, vel adustione remedia comparatur. Hæc sanè, nec Laicis, teste Sayr. de cens. l. 7. c. 6. n. 11. nec Clericis, nec Monachis interdicta invenitur in iure. Alteram appellamus Chirurgicam, quæ scilicet incisione utitur, & adustione, cuiusque usus, cum Monacho, tum Clerico in Sacris prohibitus est. C. sent. Ne Cler. vel Monach. Huius autem prohibitionis explanationem pete distinctis à Diana p. 11. tr. 7. ref. 8.

3. Quoad priorem ergo assero primo, Medicum Physicum, nec peccare, nec si erit irregularis, si, cum sit arte peritus, infirmis vacat, deque utilibus, noxiisque monet iuxta artis Canones, præceptaque, quamvis plerisque ex dictis infirmis mors, præter eius intentionem, accidat. Ita habetur cap. Tua nos de homicidio, & ita DD. Panor. in C. Tua nos n. 3. de hom. Sayr. l. c. n. 8. Farin. Frag. V. irreg. n. 436. Vgol. de irreg. c. 19. §. 1. alique passim docent. Rationem habebis mox n. 11.

4. Assero secundo. Eundem Physicum Medicum, si forte ob negligentiam vel ob imperitiam, vel ob aliud in infirmi curatione contra quintum Decalogi præceptum. III.

tum mortaliter peccat, incurtere in irregularitatem, secuta infirmi morte. Patet, quia tunc Medicus causa est mortis, ut iidem & fusc. Gibal. c. 4. q. 2. n. 25. notant. Idem dic de Ministris, seu Assistentibus huic Medico, si advertant eius imperitiam, & ipsi cooperantur. Si dubium sit, dixi supra cap. 5.

5. Inquires primo. Si Medicus curare debeat mulierem prægnantem, incurtere in irregularitatem, si pharmacum illi propinet, vel præcipiat venæ sectionem, quo pacto magnum sit periculum, ne foetus animatus pereat, cum contra, si hæc non præcipiat, sit simile periculum, ne pereat mater? Fecit tum animatum dixi, nam, si non sit animatus, iam ex alibi dictis l. 6. in Dec. c. 2. §. 4. n. 1. scimus, eius interitum non esse irregularitatis causam.

6. Respondeo. An, & quatenus tunc peccet Medicus, dixi satis ibidem. Nunc autem, quoad irregularitatem, sic breviter statue: Si peccet Medicus iuxta ibidem dicta contra quintum Decalogi præceptum, simul incurret in irregularitatem, si non peccet, irregularitatem non incurret. Patet id ex dictis, & confirmabitur, explicabiturque ex mox dicendis n. 29.

7. Inquires secundo. Medicus desperato ægrotò, concedens, dari quolibet cibos etiam noxios, estne irregularis, si inde mors, vel eius acceleratio sequatur?

8. Respondeo affirmativè, quia tunc graviter peccat, crudelis est enim ea pietas, qua, quis citius mortem Aliquem subire facit, Nihilominus (ut notat ex Galeno Gibalinus de Irreg. c. 4. q. 2. n. 27. V. Septimo Medico) aliud est si, non valde lædentia ea vehementer cupientibus exhibeatur; tunc enim non videtur, ex illis cibis timere prudenter posse mors.

Medicus Chirurgus.

9. Monacho, vel Clerico in Sacris, ut modo dixi, verita est Chirurgia, unde fit, ut quia medicina physica non est his interdicta. Ita Sayr. de cens. l. 7. cap. 6. n. 11. si quis ex ipsis physicam ex arte exerceat, dicitur exercere opus licitum, ar, si Chirurgiam, dicitur opus illicitum exercere.

10. Ex nostra autem doctrinâ, per quam diximus irregularitatem nequaquam pendere ab hac prohibitione, nec ab opere illicito quocunque, sed solum ex eo, quod opus, cui quis vacat, sit causa homicidij, sequuntur hæc quæ hic dicam.

11. Assero enim primo: Si Monachus, vel Clericus in Sacris exercens etiam extra necessitatem Chirurgiam, incidat, vel adurat ex arte, licet peccet contra dictam prohibitionem, quando tamen non apparet culpa homicidij, non fore irregularem. Ita Coninch. de Sacr. d. 18. dub. 9. n. 87. Io. Præp. d. 5. de irreg. d. 10. n. 86. Diana loc. mox cit. quamvis præter intentionem accidat infirmi mors, vel eius acceleratio, vel mutilatio, (quæ uno verbo appellare consuevimus deformitatem.) Ratio huius assertionis est, quia irregularitatem non parit mera inobedientia cuiuscumque præcepti, sed actio efficiens reatum homicidij, seu Deformitatis.

Quoniam igitur in casu nostro sufficienter cautum est periculum, dum ex arte fit operatio, ideo, non peccabitur contra quintum Decalogi præceptum, nec consequenter timor adedit incurtæ irregularitatis. Quicquid ergo in oppositum dicat Castrop. de cens. d. 6. p. 15. §. 4. n. 10. alique apud Dianam p. 4. tr. 2. ref. 14. qui tamen alio in loco nostram sententiam amplectitur. Lege. Dianam p. 11. tr. 7. ref. 8.

12. Confirmatur, quia, quando adustiones illæ, atque similia remedia sunt ex arte, mors non præsumitur contingisse propter applicationem medicamentorum, sed propter vulneris gravitatem, propter humores graviter peccantes, &c.

13. Assero secundo: Si idem Monachus, vel Clericus in Sacris peccet contra artem, exercens incisionem, vel adustionem, unde sequatur alicuius mors, cum fore irregularem. Patet ex dictis, Idem dic de Ministris

seu assistentibus dicto Medico, se videant eius imperitiam, & ipsi cooperentur ut in simili dictum est n. 4. Si dubium addit, supra cap. 5. §. ante.

14. Dices: Si medicus ex arte operans, secuta infirmi morte, nulla irregularitate devincitur, cur iudex ex virtute iustitiae malefactorem capite damnans, eiusdem secuta morte, irregularitatem incurrit?

15. Respondeo, praeter voluntatem Pontificis ita disponentis, illa ratio apposite afferri solet, quia index mortem malefactoris, licet iusse, intendit, & vult, quae intentio maculare videtur lenitatem, quam Ecclesia in suis Ministris requirit. At Medicus, & similes, de quibus hic loquimur, nullo modo infirmis mortem, imò potius sanitatem attendunt. Ita Bonac. de irreg. d. 7. q. 4. p. 6. n. 6.

16. Ex dictis solvi possunt duo casus, quos sic proposuit Mol. T. 4. tr. 2. d. 57. n. 3.

Primus. Quidam Sacerdos ingravescente per civitatem peste, ac deficientibus Chirurgis, multorum apostemata, seu bubones, ut vocant, incidit, curavitque ea arte ac felicitate, ut ex multis centenis hominibus, quos vitam ac sanitati restituit, duo tantum obierint, fuitne hic irregularis?

Respondet cum Molina nequaquam fuisse, quia propter episcopalem iudicandum non est, Sacros Canones tantum virtutis exemplum, bonique publici utilitatem tantam, voluisse irregularitate multare.

17. Sed profecto ex nostra doctrina modo allata assentitur. Mol. dicto ibid. Bonac. de Irregul. dist. 7. q. 4. p. 5. num. 4. aliique, sed clariorem rationem asserimus: Nos enim illam reddimus: qua Sacerdos ille ex arte, & cum debitis cautionibus, ac sine ullo peccato, imò cum insigni Civitatis exemplo incidit, adussitque.

18. Secundus casus. Clericus quidam solum venam aperuit infirmo, unde eidem secuta est mors. Estne Clericus irregularis?

Respondet ibi Mol. Diana p. 4. tr. 2. resol. 24. nequaquam esse, quia venae sectio non est Chirurgia, quam Canon supra citatus damnat.

19. Sed iterum aior, se assentiri responsioni: at rationi ideo non assentior, quia venae sectio est pars artis Chirurgicae, unde etiam Clericis est interdita. Ita Bonac. de irreg. d. 7. q. 4. p. 5. n. 5. V. Quarto, Clericum. Solida igitur ratio est, quia dum Clericus aperuit aegro venam, ex arte, & omnem apposuit diligentiam, ne damnum ipsi sequeretur, non fuit causa mortis: esto per accidens ea subsequuta fuerit. Quod si non ex arte secuisset, nec periculum mortis praecavisset, eum in irregularitatem incursum fuisse, negabit nemo.

20. Quid si Clericus, vel quilibet alius, eum non adsit homo peritus in arte, fecerit infirmo venam, vel medicamentum eidem porrigat, unde mors deinde sequatur, eritne is irregularis?

21. Respondeo. Si supponimus, haec fieri bona fide, vel in necessitate multo magis, si desperata sit salus aegri, & tua actio, vel medicamentum probabiliter salutem fuit allatura, tu non peccas, unde, nec in irregularitatem incurris, in quam certe incurreres si imprudenter, & incaute te gereres, ut constat ex dictis.

22. Hic denique incideret celebris illa quaestio, an Sacerdos, qui non habens aliam aquam, infantem moribundum proiecisset in puteum, ut illum baptizaret, an, inquam, incidit in irregularitatem? Verum de hoc casu supra l. 2. de Bapt. c. 1. §. 4. a nobis dictum est.

#### Aromatarij seu Pharmacopola.

23. Hi profecto, si medicamenta effecta vendant pro bonis, unde mors alicui sequatur, irregulares sine dubitatione sunt, quia tunc morti iam cooperantur. Contra, non est ratio, unde irregulares fiant, si fideliter se gerant, &c. Lege Gib. de irreg. cap. 4. quest. 2. a num. 26. Abb. in C. Tua nos num. 4. de hom. V. gol. de irreg. cap. 16. §. 3. n. 1. aliosque.

#### Infirmarij seu Assistentes aegroti.

24. Quatuor distingui hac in re eventus possunt. Primus est, quando Assistentes advenientes contra praecipuum Medici, vel temere aliquid aegro propinant, vel circa illum aliquid gerit unde mors consequatur, & hic quatuor ex se patet, erit irregularis ex dicto. Ita Iam. sup. p. 7. irreg. n. 510. ubi de hac re plura.

25. Secundus. Quando aliquid gerit circa aegrotum, intendendo eius mortem accelerare, quavis mora misericordiam, ne diutius aeger in agonia laboret, ut si voluntarium movere, ut sic citius moriatur, & tunc irregularis erit, secuta morte, idque ex homicidio voluntatis merito notat Henr. l. 14. c. 19. n. 3. etiam si id volentis aegrotus, si quidem nec tu, nec ipse estis vita Domini Negro consentium praebes Avila de consp. 2. de 6. §. 1. c. 1. ne, sine fundamento putanti, illud esse homicidium voluntarium a solo Pontifice dispensabile, quod fit ex tanto crudeli, non vero, quod ex commiseratione.

26. Tertius casus est, quando sine ex officio, sive ex superioris iussu, sive ex charitate, infirmi custodiam suscepisti, & nihil positive agendo, negative te habes, etiam per culpabilem moraliter negligentiam, ut de aegrotis moriatur, & tunc peccabis quidem, sed ex probabilis lenientia non evadens Irregularis, licet evadas, et probabiliore, ut dixi supra §. 2. numero 37. & dicitur Iam. §. 9.

27. Quartus casus est, quando ea quis circa infirmum bona fide gerit, quae solent ab infirmariis, aegrotisque assistentibus fieri, & tunc, secuta per accidentem mortem, non erit irregularis (quicquid aliqui debito scrupulosiores dixerint in oppositum, Ratio est, quia bona fides, & solita officia charitatis non debuerunt tam rigorosa poena castigari. Adde, hunc non peccare mortales, ut certum est, ergo non incurrit irregularitatem ex delicto, quae delictum mortale supponit: sed nec incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis, quia hanc non incurrit nisi a Ministris iustitiae, & in bello iusto, immunitas praestatur, & late explicabimus inferius.

28. Hinc ergo, si cibi, potulque aliquid bona fide aegro praebes, sive tuo, sive alterius consilio, sive consulto Medico, si eundem aegrotum in lecto invenias, ut quietiorem situm invenias, si eundem subleves, ut eum v. g. capiat commodius, si ei suadcas deambulandum per cubiculum, ut sese aliquantulum exhibeat, eundem verbis aliquato asperioribus reprehendas, ut eum, vel potionem sumat, si haec, inquam, vel similia circa infirmum bona fide agas, quamvis accidat, sed accedat praeter tuam intentionem, mors, irregularis non erit. De his, & similibus lege Sayr. de consp. 1. 7. c. 6. n. 13. Fill. 1. 9. n. 27. & n. 278. Reg. l. 30. tr. 2. c. 9. n. 102. Dianam p. 3. n. 1. resol. 70. Mag. p. 3. l. 7. c. 1. g. 5. n. 56. Cast. de consp. d. 6. p. 1. §. 5. n. 6. Gibal. de irreg. c. 4. q. 2. a n. 25. De dubio in praedictis dixi universaliter supra cap. 4. §. ante.

#### Non Medicus tradens potionem medicatam.

29. Si eam des ad occidendum aliquem, vel ad abortum fetus animati faciendum, te esse irregularem ex homicidio voluntario, nullus ignorat. At in hoc loco quaerimus, quando ad alium finem potionem eiusmodi propinas, vel medicamentum quodpiam confers, sed inde, praeter intentionem tuam alterius interitus consequitur.

30. Propinare autem potes. Primo, ad sanitatem inducendam Secundo, ad non concipiendam prolem. Tertio, ad eandem concipiendam. Quarto, ad amorem, vel odium excitandum, quod poculum amatorium appellatum solemus.

De primo haecenus dictum est: De caeteris hic aliquid est explicandum.

31. De secundo igitur sic habe, qui medicamentum datur, ad non concipiendum, seu ad fetum inanimatum, cui concipiendum, si sequatur inde mors illud sumens, irregularis

irregularis per se fiet ille, qui dedit. Ratio est, quia ejusmodi medicamenta, quae sunt causa tanti effectus, praefertim factum ejiciendi, cum sint, teste Gibal. de Irreg. loc. cit. numero 17. persape admodum violenta, timere semper debent, ne mortem afferant. Per se, inquam, unde in foro externo pronuntiaberis semper irregularis. At, si coram Deo nihil periculi mortis praevideris, nec ullo modo dubitasti, mors sumentis erit tibi vera, & per omnia casualis; quae juxta superius dicta, te in foro conscientiae irregularem facere, non possent.

22. De Tertio, & Quarto, hoc est de dantibus medicamentum foecunditatis, vel amatorium, benignius loqui, concedimus; facile enim eos excusamus ab irregularitate, quia haec medicamenta non solent simili esse violentia. Expendendum nihilominus est genus medicamenti. Quod si periculosum est, deque periculo tu subdubitasti, irregularem (si illud sumens moriatur) te omnino facimus, quia tunc causa ejus interitus fuit: Si ne dubitasti quidem, irregularem te doctrina haec nus explicata non faciet.

23. Praedictis non obstat Jus Civile, quod tradentes, potionem abortivam, vel medicamentum amatorium morte damnat. Non obstat, inquam, quia id in Legibus Civilibus disponitur. At non semper, quod puniatur à Civilibus Legibus poena mortis, puniatur à Jure Canonico poena irregularitatis. Sic punitur morte peccatum nefandum à jure Civili, at non punitur irregularitate à Jure Canonico. Lege Covar. in Clement. Si furios. p. 2. initio num. 3. Gomez varior. T. 5. cap. 3. num. 33. Carter. in pract. crimin. de homic. §. 1. §. 2. §. 26. num. 103. Gibal. c. 4. q. 2. de Irregul. num. 16. alioque qui praedictas leges afferunt.

§. V. De Homicidio ex occasione Adulterii.

1. Assertio prima. Si adulter ex circumstantiis praeviderit adulterum esse à suis occidendam, nec sufficienter cautè se gessit, in removendo periculo, erit, sequuta morte, irregularis, non quidem ex adulterio, quod ex se non est causa proxima mortis, seu non est actio sufficienter directa ad mortem inferendam, sed ex memorato periculo, in quod, spectatis illis circumstantiis Adulter conjicit Adulterem, quamvis volentem, quia, neque is, neque haec Domini sunt vitæ.

2. Si vero sint ex circumstantiis, ut ejusmodi periculum non auferat, irregularis non erit. Ita Suar. de Conf. d. 46. §. 1. n. 12. Sayr. de Conf. l. 7. cap. 5. n. 12. Farin. frag. d. p. 2. V. Irreg. n. 505. alique; quæ Doctrina conciliat Doctores, quorum aliqui affirmant ex adulterio posse oriri irregularitatem.

3. Quod si periculum mortis praevideris, & illam intendisti, te esse certo irregularem diximus §. 7. n. 17. Atque haec monitio custodienda est etiam in sequentibus assertionibus.

4. Assertio secunda. Si committas adulterium, etiam incautè, unde maritus advertens uxoris iustitiam, se ipsum, propter dedecus inde sibi exortum, occidat, tu irregularis non eris. Ratio est, quia more humano praevidere quidem, & timere poteris de morte uxoris, at de morte Mariti non item. Idem dic, si adultera, ne à marito occidatur, maritum occidat. Fateor tamen, si in aliquo raro casu occasiones has praevideris, nec sufficienter cavisses, difficile esse, te non pronuntiarì irregularem, quia, sic, non solum remotam occasionem dedisti talium occasionum, sed verè causam proximam; ad irregularitatem enim contrahendam ex homicidio casuali, non est necesse, ut immediatè sis causa mortis, sed satis est, si à te actio fiat, ex qua prudenter timeatur mortis periculum, quod sufficienter non caveatur, ut dictum est supra §. 3. num. 2. Sic si mitta puerum ad aquam educendam à puteo, advertens ad periculum pueri, si is demergatur, eris irregularis, ut supra diximus

quia, quamvis missis aquatum non sit ex se actio conjuncta, seu ordinata ad hominis mortem, est tamen in his circumstantiis, atque adeo ejusmodi missio erit in materia homicidii injusti.

5. Assertio tertia. Si, inter colloquendum, referas adulterium mulieris coram marito, vel Oram consanguineis, unde adultera ab aliquo ex his occidatur, irregularitatem non effugies, quia, in hac circumstantia, injusta causa est homicidii. Idem erit; si referas quo Corrivali copulam cum foemina, quam Corrivalis petit, unde is foeminam occidat. Ratio est, quia in his circumstantiis solet fieri ejusmodi Decisio, & tu eam praevideris, vel de ea dubitasti, ut supponimus. Quod si nullo modo de ea suspicatus es, vel erant ex circumstantiis, ut timenda prudenter non esset occasio timere tu non debet irregularitatem. Ita Gibal. de Irreg. cap. 4. quest. 2. num. 15. Et sanè in foro externo Episcopus per indicia, & per ea, que contingere solent, judicabit in praedictis de tuo incurfu in irregularitatem. At in foro interno tua te conscientia, adhibito sapientum consilio, condemnabit, vel absolvet.

6. Si ducas uxorem amasiam, quam praetendebat alius Corrivalis, unde is idem Corrivalis ipsam occidat, profecto, si hanc occisionem non praevideris, certo non es irregularis, at, si eam praevideris, licet eandem non intenderis, te esse irregularem putat P. Prates in manifeste Irreg. d. 4. cap. 3. §. 3. num. 24. contra Maiolum, de Irreg. lib. 5. cap. 4. §. 3. num. 16. quia in hac circumstantia causa es mortis. Sed mihi placet sententia dicti Maioli, qui hunc etiam in posteriore hoc casu liberat ab irregularitate, & quidem nihil laborans de ejus ratione, illam ego satis validam assero, quia sine peccato mortali contra Iustitiam in materia homicidii non incurritur irregularitas, ut supra vidimus: at, quod peccatum contra Iustitiam committit is, qui amasiam legitime uxorem ducit? Imputet sibi Corrivalis, si id ipsi non placet.

7. Assertio quarta. Si Judex, legitime procedens, de delicto delato, & probato adulteram damnat, v. g. ad inclusionem in Monasterio, maritus autem eam interficiat, non erit Judex irregularis; erit vero, si non legitime procedat, ut, si v. g. adulterium, quod erit occultum patefecit. Prior pars hujus assertionis manifesta est, quia, dum judex iustum judicium profert, non peccat, imò meretur, unde illa mors nullo modo ipsi tribuitur, sed malitiae mariti. Posterior pars probatur, quia tunc judex, extendendo fines officii sui, causa est homicidii, Lege Maiolum, loc. cit. n. 15. & Ugolinum de Irreg. cap. 5. §. 7. n. 2. Semper autem intelligo, si de periculo subdubitaverit, si circumstantiis periculum portendebant, nec sufficienter cavuit, &c.

§. VI. De Homicidio occasione subita rixæ.

1. Reole, homicidium voluntarium esse, & dici illud, quod fit sub expressa intentione occidendi, quale est illud, quo, quis sive occidit, sive occidere aliquem mandat, directè, ut eum inter vivos non amplius esse velit; atque de hoc disputabimus latè paulo post, homicidium autem casuale, de quo haecenus egimus, est illud, quod fit prater intentionem agentis, quale est illud, quod aliquis facit, non intendendo mortem, sed intendendo aliquid aliud opus, cui adnectitur per accidens mors alicujus, quam tamen ipse advertit, licet, ut dixi, non intendat.

2. Porro homicidium factum in rixa causam esse irregularitatis non est dubium, quia jam tunc injustè, ut supponimus, occiditur homo: Sed quaestio est, an illud dicatur, & sit absolute voluntarium, an casuale. Id, quod scire interest permaximè, nam ex Tridentino irregularitas ex homicidio casuali occulto est facillioris dispensationis, quam irregularitas ex voluntario, & propter alia, quae dicentur inferius.

3. Quaestio hujus decisio pendet ex verbis ejusdem Tridentini.